

Sequitur facultas Visitatoribus avocandi ad se quascumque causas occasione d. Visitationis in aliis Tribunalibus, & coram aliis Judicibus antea ceptas, vel instruktas, ac in statu, in quo reperiuntur.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Venerab. Fratribus Vlpiano Archiepiscopo Theatin., necnon Raphaeli Zaccynthien., Orazio Caballien., Ludovico olim Adrieni., Antonio Casertan., & Alexandro nuper Hieracen. Episcopis. Ven. Fratres salutem, & apostolicam benedictionem.

Causa hujus Consilium.

UT in prosequendo visitationis Ecclesiarum, & piorum locorum hujus Almae Urbis nostrae munere, ad quod vos nominatim ex Episcoporum ordine delegimus, causae occurrentes omni, qua fieri potest, celeritate, justitia mediante terminentur, quantum cum Domino possumus, providere volentes.

Facultas Visitatorum avocandi ad se quascumque causas occasione d. Visitationis coram quibusvis Judicibus pendentes, casusque manus regia, & prout juris fuerit terminandi.

§.1. Motu proprio, & ex certa scientia nostra, vobis, ut ultra alias facultates per diversas nostras in simili forma Brevis expeditas literas vobis attributas, omnes, & singulas causas occasione Visitationis hujusmodi, coram quibuscumque Judicibus, tam ordinariis, quam delegatis pendentes, & etiam instruktas, in statu, & terminis, in quibus reperiuntur, cum omnibus, & singulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis, totoque negotio principali ad vos, auctoritate nostra, avocare, illasque summarie, simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura iudicii, sola facti veritate inspecta, & manu regia audire, cognoscere, & sine debito, prout juris fuerit, terminare.

Necnon in Ecclesiis, in quibus Missarum oneribus ad Altare privilegiatum satisfieri una die non potest, onera, seu ipsorum partem ad aliud, vel alia Altaria privilegiata, & non privilegiata transferendi, & commutandi, & alia providendi.

§.2. Praeterea ubi contigerit, alicui Altari, etiam pro defunctis, privilegiato, seu Cappella tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum legatis impositum esse, ut singulis diebus praescriptis nequeat illis satis fieri, quicquid magis ad Dei honorem, Ecclesiarum utilitatem, salutemque animarum eorum, qui legata pia reliquerunt, etiam per translationem partis Missarum hujusmodi ad aliud altare, seu Altaria, etiam non privilegiata videritis expedire, re tamen diligenter perspecta, statuere, & ordinare, ut in eis commodius, ac plenius pia defunctorum voluntati satisfiat, transferre; ceteraque omnia, & singula in praemissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna, etiam si talia sint, vel fuerint, qua magis specialem, specificam, & expressam requirerent mentionem, facere, dicere, gerere, & exequi libere, & licite possitis, & valeatis, apostolica auctoritate, tenore praesentium, plenam, & amplam facultatem concedimus, & impertimur.

Derogatio contrariis.

§.3. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 21. Julii 1624. An.I.

Datum Romae apud S. Mariam Majoris sub annulo Piscatoris die 11. Julii 1624. Pontificatus nostri Anno I.

Hispaniarum Rex, ejusque Ministri a Censuris absolvuntur, in quas incurrerant, ob exactum quoddam vestigial ab Ecclesiasticis in Oppido Matrili, absque Sedis Apostolicae licentia.

Ex Regest. in Secret. brev.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Charissime in Christo fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Singulari, atque eximia Majestatis tuae in Nos, & Apostolicam Sedem fidei, & devotionis merita promerentur, ut votis tuis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuemus.

Exordium.

§.1. Cum itaque, sicut Majestatis tuae nomine Nobis nuper expositum fuit, pro fabrica Palatii Charissimae in Christo filiae Nostrae Isabella Hispaniarum Reginae Catholicae conjugis tuae, certa quadam gabella in Oppido Matrili Toletan. Diocesis super rebus comestibilibus, seu victualibus, per Ministros, seu Officiales tuos imposita a personis Ecclesiasticis exacta fuerit, contra sacrorum canonum, & generalium Conciliorum, necnon Bullae in Die Coena Domini legi, ac publicari consuetae dispositionem.

Regi Ministri vestigial quoddam ab Ecclesiasticis quoque exegerant in Oppido Matrili.

§.2. Nos Majestatis tuae, ac Ministrorum tuorum praedictorum conscientiae securitati consulere, teque, ac illos specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, applicationibus Majestatis tuae nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Te ac Ministros tuos praedictos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis per te, & Ministros tuos praemissorum occasione quomodolibet incurris, dummodo tamen a similibus in posterum committendis omnino abstinere, apostolica auctoritate, tenore praesentium, absolvimus, & liberamus, dictaque poenas, ac pecunias ad quamcumque summam, ascendentes extra gabellam per eosdem Ministros, seu Officiales tuos ab Ecclesiasticis, ut praesertur, exactas, tibi, & illis gratiose remittimus, & condonamus.

Eos a censuris, in quas hac de causa incurrerant, absolvit Pontifex.

§.3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contraria tollit.

§.4. Volumus autem, ut poenitentiam, quam confessarius idoneus tibi, & Ministris tuis praedictis propter praemissa duxerit injungendam adimplere omnino teneamini, alioquin praesentes nulla sint.

Poenitentiam vero a Confessario ipsis injungendam per eos adimpleri jubet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 29. Martii 1624. Pontificatus nostri Anno I.

Dat. die 29. Martii 1624. An.I.

Con-

Confirmatio Privilegiorum, exemptionum, & aliarum gratiarum Hospitali S. Joannis Hierosolymitani concessorum.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

UNIVERSALIS Ecclesiae regimini per ineffabilem divinae sapientiae providentiam, meritis licet insufficientibus, praepositi, inter multiplices pastoralis officii curas illam peculiari sollicitudine libenter amplectimur, qua privilegia, gratiae, & indulta Militibus, & Hospitalibus quibuslibet ad majorem Dei gloriam, suaeque Ecclesiae sanctae exaltationem, illius vero hostium profligationem pie, provideque instruktis, a Rom. Pont. Praedecessoribus nostris concessa, quo majoris validitatis munimine subsistant, Apostolica confirmationis patrocinio muniantur, prout rerum, temporisque qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Leo X. & alii Pont. multa privilegia concesserunt Hospitali, & ejus personis, ac inter alia exegerant a solutione decimarum, & aliorum onerum.

§.1. Cum itaque, sicut accepimus, alias fel. record. Leo X. Clemens VII. Paulus III. Pius IV., & Pius V. Romani Pontifices Praedecessores nostri inter alia privilegia, & indulta dilectis filiis Magno Magistro, ac Conventui Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani a Sede Apostolica concessa, eundem, & pro tempore existentem Magnum Magistrum, Bajulivos, Castellanos Empostae, Priores, Praeceptores, Milites, familiares, aliasque personas Hospitalis hujusmodi, necnon etiam subditos, vassallos, colonos, & servitores, & alios in eorum obsequiis, & dicti Hospitalis beneficiis quomodolibet nuncupatis existent. etiam presbyteros curam animarum exercentes, quandiu illam exercent, & in illorum obsequiis forent, illorumque animalia, praedia, domos, molendina, & bona quaecumque, quae obtinebant, ac in posterum obtinerent, & possiderent, a solutione, & exactione decimarum, censuum, jurium etiam synodali, & canonicarum portionum, seu charitativi subsidii, aut jucundi adventus, seu quartae, aut alias quomodolibet, aut aliorum quorumcumque onerum sub certis modo, & forma exemerint, & liberaverint, prout in diversis ipsorum praedecessorum desuper concessis literis plenius continetur.

Et quia Ordinarii locorum & aliae personae eos molestant, Gregor. XIII., & alii Pont. dicta privilegia approbant, ac perturbant, districtius prohibuerunt.

§.2. Et licet ipsi Milites, & aliae personae praedictae non debuissent a quoquam contra dictorum privilegiorum tenorem, & formam molestari, perturbari, vel inquietari, cum ipsi non modo eorum facultatibus, & fortunis, verum etiam sanguini, & vite pro tuitione Fidei Catholicae non parcant; Nihilominus cum diversi locorum Ordinarii, ac Parochiales Ecclesiarum Rectores, & multae Capitulares personae id sibi omnino juxta Sacri Concilii Tridentini decreta licere, asserentes, eosdem Magnum Magistrum, Bajulivos, Castellanos Empostae, Priores, Praeceptores, Milites, & personas,

diversis oneribus contra eorum privilegia praegravarent, illosque ad decimas, census, subsidia etiam charitativa, congruas portiones, jucundum adventum, Pastor bonus, aut alias nuncupata onera, & etiam jura synodalia cogere praesumerent in maximum ipsius Hospitalis detrimentum, & gravamen fel. rec. Gregor. XIII., Sixtus V., Greg. XIV. similiter Praedecessores nostri ex certa scientia, & Apostolica potestatis plenitudine omnia, & singula privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, libertates, & alias gratias eisdem Magno Magistro, & Conventui, quomodolibet concessa confirmantes, approbantes, & innovantes, eos super praemissis quomodolibet molestari, inquietari, ac perturbari districtius prohibuerunt.

Pius IV. concessit eidem Conventui univ. & dist. beneficia facultatem.

§.3. Et praeterea cum inter alia fel. record. Pius Papa IV. Praedecessor noster eisdem Magno Magistro, & Conventui inter cetera privilegia Prioratus, Bajulivatus, Castellaniam Empostae, Commendas, & alia ejusdem Hospitalis beneficia libere univ. & dist. facultatem concessisset.

Quam alii Pontifices confirmarunt.

§.4. Et nihilominus a quibusdam quandoque dubitaretur, an ante, vel post mortem possessorum unio, seu dismembratio ipsa fieri posset, ac deberet; idem Gregorius Praedecessor ad tollendum omne dubium, & ambiguitatem, qua in praemissis in futurum oriri poterant, ut quando cumque eis videretur, sive ante, sive post mortem possessorum, Prioratus, Bajulivatus, Castellaniam Empostae, & alia ejusdem Ordinis beneficia unire, & dismembrare, libere, & licite possent, & valerent; Necnon omnia, & singula privilegia, & exemptiones praedictas etiam ad Confratres, & Donatos ejusdem Hospitalis extendi debere, decrevit, & declaravit; Ac decretum, & declarationem hujusmodi, aliaque praemissa fel. record. Clem. VIII., Paul. V., Gregor. XV. Rom. Pont. similiter Praedecessor noster approbarunt, & confirmarunt, prout in eorumdem Praedecessor. literis plenius continetur.

Nunc Pont. privilegia, gratias, exemptiones, immunitates per alios Pontif. Magistros, & Conventui concessas approbat, & confirmat.

§.5. Nos itaque attendentes praecleara ejusdem Hospitalis erga fidem catholicam, & Sedem Apostolicam promerita, ac cupientes, ut ipsa privilegia, exemptiones, & gratiae eo firmiter subsistant, quae saepius ab eadem Sede confirmata extiterint, Magnum Magistrum, Priores, Bajulivos, Castellanos Empostae, Praeceptores, Milites, & Fratres, & eorum singulos, singulaeque dicti Hospitalis personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, necnon omnium, & singulorum privilegiorum, indultorum, facultatum, exemptionum, immunitatum, libertatum, & gratiarum per praedictos, & alios quoscumque.

rum spectabit, inviolabiliter observari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & desiniri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 14. Aprilis 1624. An.I.

§.6. Volumus autem, quod presentium transumptis etiam impressis &c.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die 14. Aprilis 1624. Pontificatus nostri Anno I.

L

Indictio Jubilei universalis pro Anno 1625. ac suspensio quarumcumque aliarum Indulgentiarum dicto Anno durante.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Universis Christi fidelibus presentes literas inspecturis salutem. & Apostolicam Benedictionem.

Evangelizate appropinquat. Sanctum ad Jubilei celebrationem.

Omnes Gentes plaudite manibus, Jubilate Deo in voce exultationis: non enim ut in veteri lege Sacerdotalis buccina clangore, sed apostolice vocis oraculo sacrosanctum Jubilei Annum jam Regis seculorum beneficio appropinquantem, Vobis evangelizamus. Annum divino cultui dicatum, ac ferventioribus Christiana pietatis studiis destinatum. Annum remissionis, ac veniae, tempus acceptabile, dies salutis. Licet enim nulla excurrant tempora, quae Divinae largitatis muneribus secunda, spiritualibus Nos non cumulent bonis, ac numquam ad ineffabilem Dei misericordiam, ejus aspirante gratia nobis aditus pracludatur; nihilominus tot, tantaeque eo Anno ad hominum sanctificationem beneficia coelitus promanant, ut pene omnes sacros thesauros divina munificentia in Christi fideles diffundere videatur. Quapropter si quinquagesimus Annus, quem Deus Moysen sanctificare iussit, incredibili Hebraeorum plausu, atque inestimabili gaudio excipiebatur, quanto magis deceat Christianum orbem sacro Jubilei Anno recurrente letari? Laboriosa eo tempore agriculturae opera intermitterebantur: nunc proprio quisque parcens labori, fructus, quos Christi Domini, Deiparae Virginis, ac Sanctorum merita protulerunt, uberimos percipit. Distracta tunc praedia, alienique juris effecta recuperantur: nunc virtutes, dona, & merita, quibus peccan-

do merito exuimur, liberali Dei misericordia recipimus. Exules tunc patriam repetebant: nunc ad coelum, unde exulantes in hac lachrymarum valle misere pererramus, iter nobis praemonstratur, & aperitur.

Principes, & omnes ad illius celebrationem convocant, & invitavit.

§.1. Vos igitur Catholici Principes, qui tot decorum prerogativis insigniti ad Christianam pietatem promovendam arctioribus, quam ceteri, obligationis nexibus obstricti estis; Vos omnes Christi fideles, quos Romana Ecclesia materno gremio complectitur; ad jucundissimam sacrosancti hujus Jubilei celebrationem paternam, quae urget Nos, charitate vocamus, & invitamus, ac quasi tuba exaltantes vocem nostram prophetica in vos oracula convertimus, & clamamus: Audite haec omnes Gentes, auribus percipite, qui habitatis Orbem; Adveniunt dies poenitentiae ad redimenda peccata, ad salvandas animas: appropinquat tempus, quo Dei misericordia eos tandem convertat, quos fera eius ulciscendi voluntas diu toleravit: humane vitae brevitate vobis ipsi ob oculos proponite: cogitate, nos instar aquae dilabi, ac vitam nostram velut a texente praecidi. Et quamvis nonnulli ex Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris eidem Jubilei anno celebrando praescriptum olim temporis spatium provide arctantes, tam solemnem culpae remissionem, divineque assistitae debitarum poenarum relaxationem intra angustiores annorum limites contraxerint; nihilominus ob paucitatem dierum nostrorum paucis illam reddituram putantes, quaramus Dominum, dum inveniri potest: invocemus eum, dum prope est. Venite ergo ad locum, quem elegit Dominus, ascendite ad mysticam hanc Hierusalem tot, tantisque a Deo beneficiis auctam, tot muneribus cumulata, ut vere de ea dicatur Fluminis imperpetuum laticare Civitatem Domini, caelestium nempe flaminis gratiarum, cujus opportuna irrigatione fidelium Anima fecundantur. Venite, & afferte Domino gloriam nomini ejus, adorate Dominum in Atrio sancto ejus. Hic, filii dilectissimi, vere confitebimini Deo in Ecclesia magna, in populo gravi laudabitis eum; quandoquidem haec est ceterarum Ecclesiarum Magistra, prima catholicae religionis Sedes, Mater credentium, Orbis Caput, vertex rerum. Quapropter & caelestes benedictiones, quas sititis, hic non ex rivulis petetis, sed haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, aquas videlicet saluberrimas, quibus hauritis efficietur in vobis fons aquae salientis in vitam aeternam.

Jubilei celebrationem in proximo Anno 1625. indictis, & plenissimam impartitur indulgentiam visitantibus quatuor Patriar. Urbis Eccles.

§.2. Haec igitur Nos praeculis, atque in votis habentes, Romanorumque Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inherentes, & eorum pium, ac saluberrimum institutum retinentes, de Ven. Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium assensu, Jubilei celebrationem in Annum proximum 1625. a primis Vesperis Vigiliae Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi proxime futurae inchoandam, & per totum Annum ipsum finendam, auctoritate Dei Omnipotentis, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli ac Nostra quanto maximo possumus animi nostri gaudio, ad ipsius Dei gloriam, & Catholicae Ecclesiae exaltationem indicimus, & promulgamus. Quo ipso Jubilei Anno durante, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus, & confessis, qui Ecclesiam Lateranensem, Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, necnon S. Mariae Majoris de Urbe Basilicas semel saltem in die, per triginta continuos, aut interpellatos dies, si Romani, vel Incola Urbis, si vero Peregrini, aut alias exteri fuerint, per quindecim saltem dies devote visitaverint, & pro ipsorum fidelium, ac totius christiani populi salute pias ad Deum preces effuderint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem, ac veniam misericorditer in Domino concedimus, & impartimur.

§.3. Et quoniam evenire potest, ut exiis, qui hac de causa iter aggressi fuerint, vel ad Urbem se contulerint, aliqui in via, aut etiam in ipsa Urbe, morbo, vel alia legitima causa impediti, aut morte praeventi, praesentio dierum numero non completo, ac ne quidem fortasse inchoato praemissa exequi, ac Ecclesiam, & Basilicas hujusmodi obire nequeant; Nos pia, promptaque illorum voluntati, quantum in Domino possumus, benigne favere cupientes, eisdem vere poenitentes, & confessos, praedictae Indulgentiae, & remissionis participes perinde fieri volumus, ac si Ecclesiam, & Basilicas praedictas diebus a Nobis praescriptis re ipsa visitassent.

Impeditis benigne provi-det.

§.4. Vos autem Venerabiles Fratres nostri Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi in partem sollicitudinis nostrae vocati, capite tubas argentaeas, quarum usus est in Jubileo, adhibete praedicationem verbi Dei, & praenuntiate populis gaudium magnum, ut sanctificentur, & Dei juvante gratia, parati sint ad ea caelestia dona capienda, quae bonorum omnium largitor Deus filiis dilectionis suae per ministerium humilitatis nostrae preparavit. Ad caelestia munera in hac Urbe percipienda, vocate coetum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, docete oves fidei vestrae creditas, quia advenae, & peregrini sumus in hac vita, & civitatem hic permanentem non habemus, sed futuram inquirimus. Docete omnes, si umquam alias, nunc potissimum iras, rixas, contentiones, & inveterata odia extinguenda propter Christum; nunc praecipue omnes carnis sordes esse detergendas, ut templum Dei mundum sit, & unusquisque vas suum possideat in honore, & sanctificatione, & portet Deum in corpore suo. Docete eos nunc maxime scelera detestanda esse, dandamque operam, ne quis christiano nomine abutatur. Docete, sacros Indulgentiarum thesauros lucrandi, spem omnem inanem esse, nisi quos contrito, & humiliato corde se ipsum preparare, & christianis operibus exercere studeat. Qui autem divitiis abundat,

Praelatis praecipit, ut omnes moneant, & instituant ad pia opera peragenda pro hujusmodi Jubilei confectione.

aperiant viscera sua, Fratrum suorum pauperum inopiam sublevent, praecipue vero erga Peregrinos Romam venientes misericordes sint, & sanctam hospitalitatem Deo gratissimam, & quam vetustissimi illi Christiani etiam inter persecutionum fluctus, diligentissime coluerunt, ipsi quoque multa hilaritate spiritus renovent, atque observent, faciantque sibi amicos de mamonae iniquitatis, ut recipiantur in aeterna tabernacula. Admoesete etiam omnes, ut orent pro Regibus, & Principibus Christianis, ut quietam, & tranquillam vitam agamus, & pax, ac concordia perpetuo conservetur. Postremo docete eos, cum sanctam peregrinationem susceperint, qua modestia, qua devotione, qua fraternae pacis observantia connecti eos oporteat, ut sint Christi bonus odor in omni loco. Praebete autem vos ipsos Fratres Venerabiles, & omne Clerum exemplum in primis bonorum operum, & formam gregis, ut vestra virtutis, ac religionis veluti sale ceteri condiantur, & omnem peccati putredinem abhorreant; & denique omnes unanimes in uno spiritu christianae charitatis, atque in omni sanctitate, & justitia Deo serviamus.

Principes, que horrat ad pia opera, & praecipue ad Peregrinos subveniedum ardentius.

§.5. Hortamur quoque, & rogamus in Domino charissimos in Christo filios nostros Imperatorem electum, ac Reges, & Principes omnes Catholicos, ut quo plura, & magis illustria beneficia ab eo, per quem Reges regnant, acceperunt, tanto ardentius, ut par est, ad Dei gloriam procurandam pio zelo excitentur; praecipue vero Fratrum nostrorum Episcoporum, & superiorum Antistitem pastorem sedulitatem, & vigilantiam adjuvent, & magis a suis magistratibus, ac ministris adjuvari mandent, ut improborum licentia coerceatur, & bonorum studia eorum regia ope, & gratia foveantur: maxime autem erga peregrinos beneficentiam, & liberalitatem exercent, curentque ut tutis incedant itineribus, & nulla hominum perditionum vexatione perturbentur: sed hospitalibus, domibus, & publicis hospitibus amanter excepti, & commutati, & rebus ad vitam necessariis recreati, sine ulla concussionem, & injuria insitutum iter lati peragant, & cum gaudio in patriam revertantur: his enim hostis Reges potissimum, & Principes Deum sibi placibilem reddent, ut diu in terris felices vivant, & demum in aeterna tabernacula recipiantur ab illis ipsis pauperibus, erga quos misericordiam exercuerint, in quibus Christus pascitur, & nutritur.

Exemplis hujus Constituti ccedi mandata.

§.6. Ut vero praesentes literae ad omnium fidelium in quibuscumque locis existentibus notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac personae in dignitate ecclesiastica constitutae sigillo munitis, eandem prorsus fidem haberi, quae haberetur iisdem praesentibus, si exhibitae forent, vel ostense.

Sanctio pre-nalis.

§.7. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae indictionis, promul-

Ex Regest. in
decret. brev.

Extensio facultatis Archiepiscopo Creten.
concessa visitandi Insulam Cretae.

Deputatio huius Archiepiscopi in Visitato-
rem Insulae Cretenfis vide Superius Consti-
tus. XV. fol. 170.

Ven. fratri Lucae Archiepiscopo Creten.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Fratres salutem, & Apostolicam
benedictionem.

Archiepisco-
po Cretenfi in
Visitatorem
totius Insulae
deputato

Alias de Tua prudentia, & catholica
religionis zelo plurimum in Domino
confisi, motu proprio, & ex certa scientia,
ac matura deliberatione nostris, Te nostrum,
& Sedis Apostolicae generalem, & specia-
lem Visitatorem, Reformatorem, & De-
legatum in tota Insula Creten, apostolica
auctoritate fecimus, constituimus, & de-
putavimus, tibi que certas tunc expressas fa-
cultates concessimus, & impartiri sumus,
prout in diversis nostris in simili forma bre-
vis expeditis literis, quarum tenores praesentibus
pro expressis haberi volumus, pleni-
us continetur.

Extenduntur
facultates

§.2. Nunc autem Christianifidelium in Za-
cynthi, Cephaloniae, & Corcyrae Insulis exi-
stentium animarum saluti, quantum Nobis
ex alto conceditur, consulere volentes, mo-
tu, scientia, & deliberatione similibus, Te
in Insulis praedictis nostrum pariter, & eju-
dem Sedis generalem, & specialem Visita-
torem, Reformatorem, & Delegatum cum
omnibus, & singulis facultatibus in dictis
literis expressis apostolica auctoritate, te-
nere praesentium, facimus, constituimus, &
deputamus, Tibique per eandem praesentes
committimus, & mandamus, ut tamquam
noster, & Sedis praedictae specialiter dele-
gatus Venerabiles Fratres Marcum Anto-
nium Archiepiscopum Naxien. in Civitate
Creten. commorantem, ac Marcum Epi-
scopum Cacycolicen., & Cephaloniae in
eadem Civitate degentem, & a suis Eccle-
siis a quadriennio absentem, auctoritate
nostra moneas, ut quamprimum ad resi-
dentiam suam se transferant, inde non de-
cessuri, nisi ex causa per Te approbanda; &
si monitioni Tuae huiusmodi non paruerint
contra ipsos procedas juxta decretorum
Concilii Tridentini dispositionem, vel ut
citius dictis Ecclesiis provideatur juxta
cap. 2. de officio delegati in 6. Praeterea sus-
fraganeos Tuos ad residentiam in suis Ec-
clesiis compellas, & Venerabilibus Fratri-
bus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardi-
nalibus negotio propagandae in universo
mundo fidei praepositis significes, qui ex eis
non resideant; nec non Visitatum copias
authenticas, ad eisdem Cardinales
transmittas, ac informationes sumas extra-
judiciales tantum de vita, moribus, & pa-
storali officio Venerabilis etiam Fratris Epi-
scopi Thinen., & de illius Populi statu,

quoad religionem, eorumque copias authen-
ticas ad eisdem Cardinales transmittas.

§.3. Non obstantibus omnibus illis, quae
in literis praedictis volumus non obstat, ac
ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub An-
nulo Piscatoris, die 1. Aprilis 1624. Pon-
tificatus nostri Anno I.

Derogatio
contractionum

Data die 1.
Aprilis 1624.
An.I.

XLVIII.

Prorogatio duorum mensium favore Caroli
Barberini Pontificiarum Militiarum, Arci-
umque Perusinae, & Anconitanae Prae-
fecti, ejusque Locutenentium ad juramen-
tum in manibus Card. S.R.E. Camerarii
praestandum, & Inventarium dictarum
Arcium conficiendum.

Ex Regest. in
Secret. brev.

Dilecto filio Nobili Viro Carolo Barberino
nostro secundum carnem fratri ger-
mano totius Militiae S. R. E.
Gubernatori Generali.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte fili salutem, & apostolicam
benedictionem.

Singularia multiplicum virtutum merita,
quibus personam tuam a Domino novi-
mus insignitam, suo jure possunt, ut te
fraterno secundum carnem vinculo Nobis
conjunctum, ac filiali reverentia, & devo-
tione Nos prosequenter amplioribus in-
dies favoribus, & gratiis libenter comple-
ctamur.

Exordium

§.1. Alias siquidem te totius nostrae, &
Sanctae Romanae Ecclesiae Militiae, tam
equitris, quam pedestris Gubernatorem
Generalem, necnon Perusinae, & Anconi-
tanae Civitatum, & Arcium nostrarum Prae-
fectum, sive Castellani cum jurisdictione,
auctoritate, facultatibus, honoribus, one-
ribus, provisionibus, stipendiis, salariis
solitis, & consuetis sub certis modo, &
forma tunc expressis fecimus, constituimus,
& deputavimus.

Urbanus Ca-
rolus Barbe-
rini Romae
Ecl. Militiae
& Arcium Pe-
rusinae & An-
conitanae Prae-
fectum consti-
tuitur.

§.2. Volentes inter alia, quod tu, ac
Locutenens tuus de ipsas arces bene, &
fideliter custodiendo, Nobisque viventibus
ad nostram, defunctis vero ad sacri Vene-
rabilium Fratrum nostrorum Sanctae Roma-
nae Ecclesiae Cardinalium Collegii, seu Suc-
cessoris nostri Romani Pontificis canonice
intrantis instantiam tenendo, & restituen-
do, ac de conficiendo Inventarium Tor-
mentorum, & rerum omnium in dictis Arci-
bus existentium, & illud manu Notarii
publici confectum intra mensem, postquam
possessionem ipsarum Arcium adeptus fu-
eris, ad Praesentes Clericos Camerae nos-
trae Apostolicae transmittendum, in manibus di-
lecti filii nostri, & Sanctae Romanae Ecclesiae
Camerarii debitum praestares in forma soli-
tae juramentum, ac dictus Locutenens
idoneam cautionem praestare teneretur, &
alias, prout in diversis nostris desuper in si-
mili

Injuncta lege,
ut ille, ejusque
Locutenens
juramentum in
manibus Car-
din. Camera-
rii praestarent
intra mensem

Distansque
terminum ad
alios duos me-
ses prorogat.

mili forma Brevis expeditis literis, quarum
tenores praesentibus pro expressis haberi vo-
lumus, plenius continetur.

§.3. Cum autem, sicut Nobis innotuit,
tu dictum Inventarium in praedictis Arci-
bus, seu earum altera infra mensem huius-
modi, seu alias forsitan non confeceris, nec
juramentum praedictum in dicti Camerarii
manibus forsitan post lapsum mensis huius-
modi praestiteris, neque idem Locutenens
juramentum intra dictum tempus, seu alias
forsitan, neque dictam cautionem praestiterit,
ut praefertur.

Emolumenta-
que omnia a
die tunc assum-
ptis in Pon-
tificem decur-
sa solvi man-
dat.

§.4. Nos te praemissorum meritorem
tuorum intuitu amplioris gratiae favore
prosequi volentes, motu proprio, non ad-
tuam, vel alterius pro te Nobis oblata pe-
titionis instantiam, sed ex certa scientia, ac
mera liberalitate nostris, deque apostolica
potestatis plenitudine, te, necnon Locum-
tenentes tuos, quatenus opus sit, adversus
lapsum temporis ad conficiendum Inventaria
hujusmodi, nec non cautionem, & jura-
mentum praestatum tibi, & illis respective, ut
praefertur, praestari, ac alias in praesentium,
& eum, in quo antea quomodolibet eras,
& ipsi erant, statum, tenore praesentium om-
nino restituimus, reponimus, & plenarie
reintegramus: tibi que, & illis ad eadem
Inventaria per te, seu Locumtenentes tuos,
seu alium, vel alios, quem, sive quos ad hoc
dukeris deputandum, vel deputant, confi-
cenda, & transmittenda, necnon cautionem
praestandam, ut praefertur, terminum duorum
mensium a data praesentium computandum
concedimus.

Aliaque ejus
Locutenenti-
bus concedit.

§.5. Volumusque, & apostolica aucto-
ritate eorundem tenore praesentium decerni-
mus, quod Inventaria praedicta, si qua
etiam post lapsum temporis huiusmodi fa-
cta fuerint, similiter valeant, & suffragentur,
quodque obligamentum in manibus di-
lecti Camerarii post lapsum temporis praedicti
praemissorum occasione forsitan praestitum ad
aliorum Juramentorum praestandam nullo
modo tenearis, provisionesque, stipendia,
salaria, & emolumenta tam praedictorum,
quam Alculan., & Beneventan., aliarum-
que Arcium Castellani, & officiorum quo-
rumcumque tibi haecenus demandatorum a
die nostrae ad summum apostolatus apicem,
assumptionis currere debeant, tibi que ab
eadem die omnino debeantur, ac persolvi,
praestari, quatenus persoluta, & praesti-
ta non sint, debeant, omni, & quacum-
que contradictione cessante.

§.6. Quodque Juramenta per eosdem
Locumtenentes tuos praemissorum occasio-
ne contra literarum praedictarum tenorem
forsitan praestata valeant, & suffragentur, nec
ipsi ad aliorum juramentorum praestatio-
nem teneantur, etsi ipsi, vel eorum aliqui
juramenta huiusmodi nondum praestiterint,
illa in manibus personae a te deputandae
praestare valeant.

Data die 3.
Aprilis 1624.
An.I.

Datum Romae apud S. Petrum sub An-
nulo Piscatoris die 3. Aprilis 1624. Pon-
tificatus nostri Anno I.

Bull. Rom. Tom. IV. Par. V.

Confirmatio Decreti Congregationis Con-
cilii, quo statuitur nihil prorsus esse sol-
vendum Episcopis, aut eorum Officiali-
bus pro exhibenda ratione honorum, elec-
mosynarum, Testamentorum, & Legato-
rum a Fratibus Congregationis Joannis
Dei.

Ex Regest. in
Secret. brev.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus
filius Gaspar Diaz Campomanes
Congregationis Joannis Dei Procurator Ge-
neralis, quod alias a Venerabilibus Fratri-
bus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardi-
nalibus Concilii Tridentini Interpretibus
emanavit Decretum tenoris subsequens,
videlicet:

Recessit
Congr. Cone.
Decretum.

Sacram Congregationem vestram humi-
liter precatur Fr. Gaspar Diaz Campoma-
nes Procurator Generalis Religionis Jo-
annis Dei, ut dignetur declarare:

An Religio sua teneatur aliquid sol-
vere Ordinariis, & eorum Officialibus
pro exhibenda ratione honorum, & Elec-
mosynarum, Testamentorum, & Legato-
rum, quae suis Hospitalibus donantur.

Sac. Congregatio Cardinalium Concilii
Tridentini Interpretum censuit nihil pro-
fus esse solvendum Episcopis, aut eorum
Officialibus pro ejusmodi rationibus exi-
gendis.

Antonius Card. Caetanus.

§.2. Cum autem, sicut eadem exposi-
tio subungebat, dictus Gaspar plurimum
cupiat, Decretum huiusmodi pro firmiori il-
lius subsistentia apostolicae nostrae confir-
mationis robore communiti; Nobis propterea
humiliter supplicari fecit, ut sibi desuper
opportune providere de benignitate apo-
stolica dignemur.

Procurator
Generalis pe-
titi confirmati

§.3. Nos igitur dicti Gasparis desideriis
hujusmodi annuere, illumque specialibus
favoribus, & gratis prosequi volentes, &
a quibusvis excommunicationis, suspensio-
nis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sen-
tentis, censuris, & poenis a Jure, vel ab
homine quavis occasione, vel causa latis, si
quibus quomodolibet innodatus existit, ad
effectum praesentium dumtaxat consequen-
dum harum serie absolventes, & absolutum
fore censentes, huiusmodi supplicationibus
inclinati, Decretum praesertim huiusmo-
di, apostolica auctoritate, tenore praesentium
perpetuo approbamus, & confirmamus,
illique apostolicae firmitatis robur adjici-
mus, ac omnes, & singulos tam juris, quam
facti defectus, si qui desuper quomodolibet
intervenerint, supplemus.

Confirmat
Urbanus.

§.4. Decernentes Decretum huiusmodi,
necnon praesentes literas valida, firma, &
efficacia esse, & fore, tuosque plenarios,
& integros effectus sortiri, & obtinere, ac
ab omnibus, ad quos spectat, & in futu-
rum

Clausulas
apposit.

D d

cumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Sedem Apostolicam Hospitali prædicto, illiusque Magno Magistro, Conventui, & Fratribus, Militibus, aliisque personis prædictis concessorum, ac literarum desuper confectarum tenores præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio non ad Magni Magistri, & Conventus Hospitalis huiusmodi, aut alicujus alterius super hoc pro eis Nobis oblata petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & de mera nostra liberalitate, ac Apostolica potestatis plenitudine, omnia, & singula privilegia Indulta, facultates, exemptiones, immunitates, libertates, & alias gratias eisdem Magno Magistro, & Conventui quomodolibet concessa, apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui forsitan intervenerint in eisdem, supplemus.

Clausulas per servatas ponit.

§.6. Decernentes præsentibus literas ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostra, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo, quod locorum Ordinarii vocati non fuerint, notari, impugnari, vel invalidari minime posse, minusque sub quibuscumque similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, limitationibus, restrictionibus, & derogationibus comprehendi posse, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas esse, sicque ab omnibus censeari.

Ita iudicari statuit.

§.7. Et ita per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat.

§.8. Quocirca dilectis filiis in Regnis Hispaniarum, & Neapolitan. nostris, & Sedis Apostolicæ pro tempore existentibus Nuntiis, ac Curia causarum Camera Apostolicæ generali Auditori per præsentibus motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentibus literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorundem Magni Magistri, & Conventus, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra eisdem Magnum Magistram, & Conventum, confirmatione, approbatione, decreto, & aliis præmissis pacifice uti, frui, & gaudere; non permitte eos, per Ordinarios prædictos, aut quoscumque alios contra præsentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari; Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, appellatione

postposita compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, & pœnas huiusmodi incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, interdictumque Ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis tollit.

§.9. Non obstantibus præ mem. Bonifacii Papæ Octavi etiam Prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, ac aliis quibusvis Apostolicis, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, specialibus, vel generalibus Constitutionibus, Ordinationibus, necnon iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis quibusvis personis, etiam prædictis locorum Ordinariis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, & scientia similibus, & consistorialiter, & de Fratrum nostrorum consilio, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialibus, specificis, expressis, & individua mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem,

Statuta Concilii Tridentini servat.

§.10. Eorundem autem Prædecessorum vestigiis inhaerentes volumus, quod fel. rec. Pii V. 22. Septembr. anno 6., ac Gregorii XIII. Prædecessorum nostrorum literis sub annulo Piscatoris 25. Novemb. anno 9. Pontificatum suorum expeditis, in suo robore, & efficacia permanentibus, præsentibus literæ Ecclesiæ, & personas in his, quæ ad curam animarum pertinent, in quibus decreta Concilii Tridentini huiusmodi omnino servari debere intendimus, minime comprehendant.

Exemplis huius Bullæ creandi mandat.

§.11. Ac quod præsentium literarum transumptis manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio, & extra illud ubique locorum plena, & indubitata, eademque prolixè fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibite, vel ostense.

Dat. die 29. Martii 1624. An. I.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die 29. Martii 1624. Pontificatus nostri Anno I.

Con-

Ex Reg. in Secret. Brev.

Confirmatio Literarum Gregorii XV. quibus Congregatio Monachorum Ordinis S. Benedicti Helvetiorum ab Ordinariis iurisdictione eximitur.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Gregorii XV. Literæ referuntur.

Alias a fel. rec. Gregorio XV. Prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris subsequenti videlicet: Gregorius Papa Decimus quintus, ad perpetuam rei memoriam. Onerosa pastoralis officii cura meritis licet imparibus Nobis ex alto commissa postulat, ut ea quæ Religiosorum quomodolibet prospero statui, felicitique progressui conducunt, libenter concedamus, prout conspicimus salubriter in Domino expedire. Itaque dilectos filios Abbates, & Monachos Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Helvetiorum specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorundem Monachorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Congregationem prædictam, ejusque Monasteria, & loca regularia, illorumque Abbates, Monachos, & bona quæcumque ab omni iurisdictione, visitatione, correctione, & superioritate quorumcumque Ordinariorum, itaut illi in Congregationem, Monasteria, loca regularia, eorumque Abbates, & Monachos huiusmodi aliquam iurisdictionem, vel superioritatem quovis prætextu, & ex quacumque causa habere, & exercere non possint, sine tamen præiudicio iurium, quæ dictis Ordinariis in regulares exemptos vigore Concilii Tridentini, & Constitutionum Apostolicarum, tamquam Sedis Apostolicæ delegatis, competunt, apostolica auctoritate tenore præsentium eximimus, & liberamus. Decernentes præsentibus literas semper, & perpetuo validas, & efficaces esse, & fore, ac Congregationi, Monasteriis, locis regularibus, ac Abbatibus, & Monachis huiusmodi in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ubique iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis Ordinariis prædictis, & quibusvis aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Qui-

Quibus Congregationem Ord. S. Benedicti Helvetiorum ab Ordinariis iurisdictione eximitur.

bus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus, pro expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vigesima Maii 1622. Pontificatus nostri Anno II.

Et confirmatur.

§.2. Cum autem, sicut Abbates, & Monachi prædicti Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi plurimum cupiant, præinsertas literas huiusmodi pro firmiori illarum subsistentia apostolica nostræ confirmationis robore communiri; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut eorum desideriis huiusmodi annuere de benignitate apostolica dignemur. Nos igitur, Abbates, & Monachos prædictos specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existant, ad effectum præmissorum dumtaxat assequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, præinsertas Gregorii Prædecessoris huiusmodi literas, ac omnia, & singula in eis contenta, apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adicimus.

Clausula.

§.5. Decernentes eandem, ac præsentibus literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, ipsosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Abbatibus, & Monachis prædictis in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & debite executioni demandari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.4. Non obstantibus omnibus illis, quæ dictus Gregorius Prædecessor in suis literis huiusmodi voluit non obstat, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 30. Martii 1624. An. I.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 3. Martii 1624. Pontificatus nostri Anno I.

Ex-

mulgationis, concessione, impartitionis, hortationis, rogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum.

Dat. die 19. Aprilis 1624. An.I.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo vigesimoquarto, 3. Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno I.

Anno a Nativitate Domini 1624 Inditione 7. die vero 16. Maii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Urbani Papa VIII. Anno I. superscripta littera Apostolica lecta, & publicata fuerunt in atrio Basilicae Principis Apostolorum de Urbe per me infra scriptum Abbreviat. de Curia.

Augustinus Hurandus Abbr. de Curia. Anno Domini 1624. indict. 7. die 17. Maii Pont. SS. D. N. Urbani VIII. Pontificatus sui 1. superscripta littera Apostolica publicata, & affixa fuerunt ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranen. Principis Apostolorum de Urbe, ac Cancell. Apostolicae, & in acie Campi Florae, dimissis ibidem eorumdem litterarum originalibus appensis per aliquod temporis spatium, & exinde amoris, deinde dimissis eorumdem litterarum copiis affixis, ut moris est, per nos Camillum Fundatum, & Brandimartem Latinum prelibati S. D. N. Papa Cursores.

Octavianus Spada Mag. Cursorum.

Sequitur suspensio aliarum Indulgentiarum hoc Anno Sancto durante.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Relatio predictae indicitionis Jubilaei.

Cum nuper Jubilaei celebrationem a vigilia Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi Anno proxime vent. inchoandam, & usque ad finem ejusdem Anni duraturam, universo populo Christiano de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium assensu indixerimus, ac omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitent. & confessis, qui Beatissimi Petri, & Pauli Apostolorum Basilicas, & S. Joannis Lateranen. ac Beatae Mariae Majoris de Urbe Ecclesias visitarent, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem, & veniam concesserimus, prout in nostris nuper desuper confectis litteris plenius continetur.

Suspensio omnium aliarum Indulgent. & facultatum absolvent. durante hoc Anno Jubilaei.

§.1. Cupientes, ut Christianae nationes ex omnibus terrarum orbis locis in Alma Urbe nostra in fidei, ac religionis unitate congregata, eodem pietatis, ac devotionis spiritu, Basilicas, & Ecclesias praedictas, quo maximo fieri poterit concurrerent, durante eodem Jubilaeo viderent, & frequent: multorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum exemplo addu-

sti, omnes, & singulas Indulgentias etiam perpetuas, & peccatorum remissiones, ac facultates, & indulta absolventi etiam in casibus Sedi Apostolicae reservatis, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, quibusvis Ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani. Domibus, Militiis, Ordinibus, etiam Mendicantium, Congregationibus, Confraternitatibus, etiam laicorum, Universitatibus, & piis locis, illorumque Ordinibus, Capitulis, Conventibus, Magistris, Superioribus, & tam secularibus, quam quorumvis etiam mendicantium ordinum regularibus personis, coronisque, granis, imaginibus, & numismatibus ex metallo, seu quacumque alia materia confectis, tam singulariter, quam universaliter per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam Nos, etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, aut ipsis etiam Imperatori, Ducibus, & Principibus, vel aliis quacumque alia mundana, vel Ecclesiastica dignitate, etiam speciali nota digna fulgentibus, etiam ad instar Jubilaei, aut alias quomodocumque, & ex quibusvis causis, & occasionibus, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac alias quomodolibet concessis, quorum omnium tenores formas, derogationes, & decreta praesentibus pro expressis haberi volumus, apostolica auctoritate, de eorumdem Fratrum consilio, & assensu, ac apostolicae potestatis plenitudine suspendimus, & suspensas esse declaramus, easque, & ea, eodem Anno durante, nulli prodesse, aut suffragari debere: irritum quoque, & inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Et prohibito eas publicandi.

§.2. Quocirca per praesentes auctoritate Apostolica praecipimus, & mandamus, ne interim aliae, quam indicti a Nobis praedicti Jubilaei Indulgentiae, sive publicae, sive privatae quovis praetextu, ubivis locorum, & gentium, sub excommunicationis eo ipso incurrendae, aliisque arbitrio Ordinariorum infligendis poenis publicentur, vel nuntientur, aut in usum demandentur.

Derogaturque contrariis.

§.3. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Ordinum, Congregationum, Hospitalium, Confraternitatum, Universitatum, Collegiorum, & locorum, aliorumque praedictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & indultis apostolicis, illis, eorumque Superioribus, & personis, ac aliis quibuscumque per eosdem Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac Nos, & dictam Sedem, ejusque Legatos, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, & ex quibusvis causis concessis, confirmatis, & innova-

novatis, quibus omnibus, etiam si in illis caveatur expresse, quod sub similibus, vel dissimilibus suspensionibus nequaquam comprehendantur, nisi de illis specialis, & individua mentio fiat, illis aliis in suo robore permanentibus, ad effectum praemissum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemplorum fides.

§.4. Et quia difficile nimis esset, praesentes quocumque, ubi illis opus fuerit perferri: Volumus earum exemplis etiam impressis, Notarii publici manu, & sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsequatis, eandem prorsus fidem in iudicio, & extra, ubique locorum adhiberi, quae adhiberetur praesentibus, si essent exhibitae, vel ostensa. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae suspensionis, declarationis, decreti, praeccepti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Dat. die 2. Maii 1624. An.I.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae 1624. sexto nonas Maii, Pontificatus nostri Anno I.

Anno a N. D. Nostri Jesu Christi 1624. Indict. 7. die vero 17. mensis Maii, Pontificatus SS. in Christo Patris, & D. N. D. Urbani, divina providentia Papa VIII. Pontificatus sui Anno I. superscripta littera Apostolica publicata, & affixa fuerunt ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranen. Principis Apostolorum de Urbe, ac Cancellariae Apostolicae, & in acie Campi Florae, dimissis ibidem eorumdem litterarum originalibus appensis per aliquod temporis spatium, & exinde amoris, deinde dimissis eorumdem litterarum copiis affixis, ut moris est, per nos Camillum Fundatum de Cesis, & Brandimartem Latinum SS. D. N. Papa prelibati Cursores. Octavianus Spada Mag. Cursorum.

L.I.

Ex Regest. in Secret. brev.

Super solutione 150. mil. scut. pro munitione Civitatis Mediolanen.

Venerabili fratri Episcopo Interamnen.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. frater salutem. & apostolicam benedictionem.

Exordium.

EX illo die, quo mirabilia faciens nobis suae Principatum humilitati nostrae, nullo licet meritorum suffragio, credit, etiam nihil antiquius habuerimus, quam ecclesiasticas Personas, quas in visceribus gerimus charitatis, a quibusvis gravaminibus, & oneribus immunes praeservare; nihilominus dum ea, quae publica securitati tuendae opportuna sunt, nostrorum temporum conditionem, aliaque permulta accuratissima

estimatione perpendimus, facere non possumus, quin divino implorato praesidio, rectam sacrorum canonum normam aliqua mansuetudine interdum desectamus, ac nonnulla quamvis difficilia apostolica largitate benigne indulgeamus. Hoc enim pacto efficitur, ut, & Christiana Respublica majoribus eximatur incommodis, & quos novis augemus beneficiis ad debitum Apostolicae Sedis praestandum obsequium alacriores reddantur.

§.1. Sane Charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus, qui etiam Ducatus Mediolanen. in temporalibus Dominus existit, nobis nuper exponi fecit, quod ipse provide considerans, Ducatum hujusmodi nullis forte fortalitis, sive propugnaculis munitum existere, quo autem eundem statum tenuiori expensa, & minori Militum praesidio tueatur, Civitates Novarien., Alexandrin., Cremonen., & Lauden., necnon loca Valentiae, Padis, & Mortarae in finibus ejusdem status existentia munire decrevit.

Philippus IV. Hispan. Rex Civitates non nullas Ducatus Mediolanen. Fortalitis munitum statuit.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in muniendis Civitatibus, & locis praedictis ingenti pecuniarum vi opus, aerariumque ipsius Philippi Regis valde exhaustum, & attritum sit, ex munitioneque hujusmodi totius Status, ac tam Cleri, quam Populi securitati prospiciatur, Communitatum vero, ac Universitatum, & hominum ejusdem status propter eorum inopiam, praesertim ex bellis praeteritis contractam, ad totam impensam necessariam supportandam facultates non suppetant, nisi Clerus, & Ecclesiastici quoque, qui ab omni genere onerum cameralium etiam exempti existunt, eo aliquid conferant, Nobis propterea idem Philippus Rex per dilectum filium Paulum Rauden. Fiscum Regii ejusdem Ducatus Mediolanen. Advocatum, a dilecto patre filio nobili viro Gomezio Suarez de Figueroa, & Corduba Feriae Duce Status Mediolanen. Governatore, ad Nos hac de causa missum, humiliter supplicari fecit, ut his rebus opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Perique, ut huic rei Ecclesiastici quoque contri- buant.

§.3. Nos igitur attendentes ex praemissis non solum Communitatum, ac Universitatum, & hominum praedictorum, sed etiam personarum ecclesiasticarum, locorumque piorum dicti Status, eorumque bonorum securitatem provenire, ac dicti Philippi Regis petitionibus, hac in parte, quantum cum Domino possumus annuendum esse censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, De nonnullorum Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, quibus negotium hujusmodi mature examinandum, & nobis referendum commissimus, consilio Fraternalitatis tuae per praesentes committimus, & mandamus, ut stantibus praemissis, ac vocato Clero, & personis Ecclesiasticis, tam secularibus, quam cuiusvis Ordinis regularibus eisdem Clero, & personis ecclesiasticis tam secularibus iis, quoad curata, quorum annui redditus summam quadraginta ducat. auri de Camera secundum

Pontifex committit Episcopo Interamnen. contributionem 150. mill. ducat. imponat Ecclesiasticis 5. annis persolvendorum.

dum communem extimationem non excedant, necnon iis, quorum beneficiorum fructus in quotidianis distributionibus consistunt, qui pro tertia illarum parte tantum conferre debeant, dumtaxat exceptis, quam cuiuscumque etiam Mendicantium Ordinis, Congregationis, ac societatis etiam necessario exprimentorum, ac etiam duodecim illarum Congregationum, quae cum Camera Apostolica tempore fel. rec. Pii Papae V. Praedecessoris nostri de subsidio ordinario concordarunt, ac quarumcumque Militiarum, etiam Sancti Iohannis Hierosolymitani regularibus, ac Seminariorum, & Hospitalium quorumcumque etiam actu Hospitalitatem servantium, ceterorumque Collegiorum Ecclesiasticorum, necnon Monasteriorum utriusque sexus bona, & redditus, ac iura, cuiusvis qualitatis sint, ac quocumque nomine nuncupat, ac pensiones Ecclesiasticas quantumvis liberae, immunes, & exemptas percipientes, in eodem statu possidentibus, vel quasi respective, ut pro undecima parte summae per laicos in id opus conferenda, quae tamen 150. millia scuta monetae Romanae in totum non excedat, in quinque annis ad minus in fine cuiuslibet anni, ab anno videlicet 1625. incipien. ad rationem summae triginta millium scutorum similium, vel minoris quolibet anno, nisi laici majori gaudeant dilatione, quo casu etiam Ecclesiasticos ea etiam gaudere volumus, pro rata sua iuxta taxam ante faciendam persolvenda in expensas munitionis Civitatum, & locorum praedictorum, contribuere libere, & licite possint, & valeant, auctoritate nostra Apostolica absque spe ullius prorogationis licentiam, & facultatem concedas, & impertiaris.

Eique necessitate ad id tribuere facultates.

§.4. Dantes tibi plenam, & liberam facultatem, & auctoritatem taxam contributionis pro dicta vndecima parte, & dictis quinque, seu ulterioribus annis huiusmodi durantiibus per ecclesiasticos seculares, & regulares, ut praefertur, persolvenda, proportionabiliter faciendi, & praescribendi, ac deinde huiusmodi taxam ab omnibus, & singulis, ad quos spectabit, singulis annis dicto quinquennio, seu majori tempore durante exigi, & penes aliquem fide, & facultatis idoneum seu locum Ecclesiasticum arbitrio tuo eligendum tutum, & securum realiter deponi, & ad ipsius Philippi Regis, seu Gomefii praedicti Gubernatoris, seu eius in huiusmodi successorum requisitionem, tuumque mandatum deputatis munitionum, civitatum, & locorum praedictorum indictum usum dumtaxat consignari procurandi; ita tamen ut ab Ecclesiasticis huiusmodi collatio non fiat, nisi facta prius exactione, & solutione rata laicorum, ac operibus munitionum huiusmodi inceptis, & pro rata constructis: quoscumque vero solvere recusantes, vel differentes etiam exemptos, & Apostolicae Sedis immediate subiectos per censuras, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia appellatione postposita cogendi, & compescendi, Ac demum om-

nia, & singula in praemissis & circa ea necessaria, & quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, gerendi, & exequendi, ac auxilium brachii secularis ad hoc, si opus fuerit, invocandi.

§.5. Volumus autem, ut exactio contributionis per dictos Ecclesiasticos persolvenda per personas similiter Ecclesiasticas tantum a te deputandas fiat, rataque a dictis Ecclesiasticis, ut praefertur, percipienda in alios usus, quam munitionem Civitatum, & locorum huiusmodi, pro quibus conferretur, nullatenus convertatur, super quo etiam tuam, & dictorum Philippi Regis, & Gomefii Gubernatoris, necnon ministrorum ad id deputatorum, si ve deputandorum conscientiam omeramus.

Exactionem vero per Ecclesiasticos fieri mandat.

§.6. Quodque iuxta ordinationem Concilii Viennensis Calices, libri, ceteraque Ecclesiarum ornamenta divino cultui dicata, ex causa pignoris capi, percipi, vel distrahi, aut alias quomodolibet occupari non debeant. Ac praeterea, ut ultra summam 150. millia scutorum huiusmodi nihil amplius ab iisdem personis Ecclesiasticis exigatur, sub poenis in sacris Canonibus contentis ipso iure incurrendis.

Sacra vero Vasa, & Suppellectilia distrahi vetat.

§.7. Non obstantibus quibuscumque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus, constitutionibus, & Ordinibus, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum Status huiusmodi, & ordinum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, eisdem Monasteriis, Ecclesiis, & ordinibus, illorumque Capitulis, Collegiis, superioribus, & personis, sub quibuscumque tenore, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliique efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenoribus praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Obstantia tollit.

§.8. Per praesentes autem non intendimus quidquam innovare super portione, quam *colonia* vocant, neque circa illam, ullum praedictum quoquo modo inferre, aut illatum esse Ecclesiasticis, quominus possint, & valeant Ecclesiasticae libertatis, & exemptionis iura occasione dictae portionis sibi, eorum Ecclesiis, Colonis, ac bonis competentia quandocumque, & ubicumque omnibus juris remediis, ac etiam per censuras ecclesiasticas tueri, & defendere, non secus ac si praesentes nullatenus emanassent, quodque expensa pro tuis, & familiae tuae usibus occasione praemissorum subeunda, per ministros laicos, non autem per ecclesiasticos persolvantur.

Coloniam portionem, ut vocant, praeservat.

Datum

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die X. Maii 1624. Pontificatus nostri Anno I.

LII.

Moderatio Literarum Gregorii XV. super divisione Provinciarum Fratrum Minorum de Observantia Sancti Francisci Reformatorum Regni Siciliae.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ponit tenore Brevis Greg. XV.

Causa huius divisionis.

Dividitur iuxta tres Valles.

Liās a fel. rec. Gregorio Papa XV. Praedecessore nostro emanarunt literae tenoris sequentis, videlicet: Gregorius Papa XV. ad perpetuam rei memoriam. Nuper pro parte dilecti filii Innocentii a Clusa Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum professoris Nobis exposito, quod omnes Ordinis, & Reformationis huiusmodi Regulares Domus in universo Siciliae Regno consistentes unam tantum Provinciam constituerent: experientia vero compertum erat, unum dumtaxat Custodem totam huiusmodi Provinciam, quae circuitus octingentorum milliarium existit, nisi eques incederet, visitare non posse: id vero regularibus dicti Ordinis institutis apostolica auctoritate confirmatis repugnare: ac praeterea gravissima inter Fratres ipsius Provinciae inconvenientia, & perturbationes exoriri, cum occurrentes eorum necessitates suo superiori manifestari nequibant.

§.1. Nos supplicationibus dicti Innocentii suo, ac tunc existentis Custodis, & majoris partis aliorum Fratrum dicte Provinciae nominibus Nobis tunc humiliter porrectis inclinati volumus, & apostolica auctoritate praecipimus, & mandavimus, quod in proxima tunc futura Congregatione Fratrum Reformatorum Provinciae huiusmodi per eundem tunc existentem Custodem habenda, eadem Provincia in tres Provincias, iuxta tres Valles, nempe de Mazara, Demona, & Noto, ita ut uniusquisque dd. Fratrum Reformatorum ipsius Provinciae in propriis domibus regularibus cuiusque ex tribus Vallibus huiusmodi, ex qua oriundus esset, degere deberet, prout desuper ab eisdem Provinciae Visitatore, & Custode decretum fuisset, auctoritate praedicta divideretur, ac separaretur, dividique, ac separari omnino deberet, prout in nostris in simili forma Brevis sub die 14. Februarii proxime praeteriti desuper expeditis Literis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

§.2. Nunc autem felici eorumdem Fratrum gubernio, ac directioni, quantum Nobis ex alto conceditur, per amplius consulere volentes, supplicationibus dicti Innocentii nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, dilecto filio Visitatori

eorumdem Fratrum iam destinato per praesentes committimus, & mandamus, ut Capitulum quamprimum celebret, in eoque Provinciam praedictam, iuxta literarum huiusmodi formam, & tenorem separet, & dividat.

§.3. Insuper, quod in eodem Capitulo tres Custodes modo infra scripto eligantur, videlicet ut a vocalibus Domorum regularium cuiuslibet Vallis, & Custodiae unus dicti Ordinis professor in eadem Valle, & Custodia oriundus in Custodem, nec non tres discreti Custodiales eiusdem Vallis eligantur, a quibus ea Custodia regatur, & gubernetur, prout a Fratribus Minoribus dicti Ordinis, Cappuccinis nuncupatis, in eodem Regno existentibus, fieri asseritur, ac iisdem modo, & forma, & non aliter divisiones, & electiones fiant.

Eliguntur Custodes in unaquaque Custodia.

§.4. Et quia in eodem Regno nonnulli dicti Ordinis professores exteri, & diversarum nationum reperiuntur, ad tollendam omnem difficultatem iis tempus sex mensium concedatur ad deliberandum, in quam Custodiam, & Vallem se velint recipere, & facta deliberatione huiusmodi, nec illi, nec ex eodem Regno oriundi Fratres huiusmodi de una ad aliam Vallem absque licentia Vicarii Generalis Fratrum Reformatorum dicti Ordinis, ac unanimo consensu Custodum, & discretorum Custodialium utriusque Vallis, & Custodiae transire possint, & si eos ad aliam Custodiam transire contigerit, in illa per decennium votum passivum habere nequeant.

Fratres exteri infra sex menses eligantur sibi Custodia.

§.5. Praeterea ad obviandum perturbationibus, quae ex controversia oriri possent, quis sigilla habere debeat, iisdem sigillis, qui cum imagine Sancti Michaelis Archangeli ad praesens reperiuntur, cum etiam ab aliis Fratribus reformatis Italiae habeantur, amplius Custodes praedicti non utentur; sed pro Valle, & Custodia de Mazara cum B. Matthaei de Agrigento; & pro Valle, & Custodia de Noto cum Sanctae Luciae, ac pro Valle, & Custodia Demona cum Sancti Martini, Placidi, & Sociorum Imaginibus sigilla respective fiant. Custodes autem pro negotiis in dictis Vallibus, & Custodiis pro tempore occurrentibus socium, qui eos in scribendo coadiuvet, habere possint, cum titulo, & nomine Scriptoris, non autem Secretarii, qui propterea nullo privilegio, nulla exemptione gaudeat, sed praecedentiam sibi ratione antianitatis in Regione competentem dumtaxat habeat. Quodque praemissis omnibus, & singulis non parentes, seu rebelles, excommunicationis, ac privationis vocis activae, & passivae poenas ipso facto incurrant, apostolica auctoritate praedicta tenore praesentium statuimus, & ordinamus. Decernentes nihilominus irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus illis, quae in praedictis literis volumus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die ulti-

Designatur sigillum uniuscuique Custodiae.

Custos habeat Scriptorum.